

Iul. Clar. & Nic. Vigelium; ubi dicunt, hanc pœnam hodie esse in usu. De manus putatione *Bernh. Zieritz. hïc, c. 104. verb. sive corpori, sive membris corporeis*. De pœnis trirremium, auff die Galeen, & ad strapecordam, vide *Ios. Nold. in Synops. tract. de stat. nobil. c. 15. n. 102. 106. tunctionis, Cornel. Tac. de morib. German. Petr. Gudel. in libris 6. de jure novissimo, l. b. 5. c. 19. n. 14.*

2. Video æquiparari, quando vita alicui aufertur, & quis perpetuis addicitur vinculis. *Bernh. Zieritz. hïc, art. 101. verb. nec carceri perpetuo*. Imò perpetui carceris pœnam graviolem esse morte existimavit *Cajus Cæsar*, autore *Cicero*. Vide *Gobler. art. 101. in auctario*. Pœna autem perpetui carceris est loco intrusionis in monasterium, cujus generis in Ecclesiis Reformatis nunc non est usus, *Ios. Nold. de statu nobil. c. 15. nu. 123*. Et his in terminis, quod si uxor nobilis adulterium committit, ad perpetuos carceres condemnanda sit, respondit *Matth. Wesenb. conf. 295. nu. 39. par. 6*. De præbitione veneni quærunt Politici: an talis pœna in usum sit revocanda? & existimant nonnulli, id faciendum esse, præsertim si personæ facinorosæ sint è magna familia, & in summa dignitate constitutæ, sic enim justitiæ executione clam posse administrari, & nemine animadvertente. In quem usum olim comparavit antiquitas, *die Wippen*, quæ adhuc tam in Ecclesia Cathedrali, quàm curia Mindensi, & aliis in locis Germaniæ visuntur. Sed alii negant hanc consuetudinem de præbitione veneni revocandam esse, inter quos est *Barthol. Keckerm. lib. 1. Systematis polit. c. 17. p. 300*.

3. Jure Civili nemo ad perpetuos damnari potest carceres, *l. 35. ff. de pœn. Prosp. Farin. in tract. de delict. & pœn. lib. 1. tit. 3. q. 19. n. 31. Thom. Mich. de jurisd. concl. 77. C. Neidling. de jurisd. c. 3. m. in princ. Bus. ad l. 3. n. 4. ff. de cust. & exhib. reor. Ioh. Harpp. in §. 5. & ultim. Instit. quib. non est permiss. fac. testam. n. 16*. Secus de Jure Canonico, *c. quamvis, de pœnis, in 6.* & hac Carolina sanctione. Vide per discursum *Prosp. Farin. de hæresi, q. 193. §. 5. per tot. Iacob. Menoch. de A. I. Q. lib. 1. q. 89. per tot.* De privato carcere vide *l. ult. C. de priv. carcer. inhib. Phil. Sigism. Clud. de crimine læsæ Majestatis, concl. 120. 121. Petr. Greg. Tholos. lib. 31. syntagm. jur. univers. c. 1. & de Republ. lib. 2. cap. 7. conclus. 2.*

ARTICULUS XI.

De capturâ reorum, contra quos se accusator offert.

1. Tria notatu dignissima hïc proponuntur. Primum est, ne captura decernatur in litibus criminalibus, nisi legitima præcedant inditia, *Foller. in pract. crim. verb. studeat, nu 58*. Ubi monet Judices, ut non sint faciles ad capturam eorum, quæ per accusatores deferuntur, sed contentur summatim investigare, an vera sint, quæ delata fuerint, & an lis criminalis ita se habeat, prout in quærela dictum? Vide *Metzg. de captur. concl. 6. 13. cum seqq.* Non enim præcipitanter & inconsideratè quælibet persona honesta carceribus mancipanda, *art. 219. Prosp. Farin. 1. pract. crim. 4. q. 27. passim*, præsertim si in dignitate constituta, ut, ex-